

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Disputatio Theologica De Poenitentia Infantum Qua  
Occasione Oraculi, Joel. II, 16. ...**

**Chladni, Martin  
Schroeder, Johann**

**Vitembergae, 1719**

**VD18 11653507**

Accessvs

[urn:nbn:de:bsz:31-130424](#)



I. N. 7.

DISPVATATIO THEOLOGICA  
DE  
POENITENTIA INFANTVM

ACCESSVS.

**Q**uando Matth. XVIII, 3. Salvator dulcissimus discipulos suos de προεδρίοις in regno cœlorum discep-  
tantes in ordinem redacturus at-  
que ad infantes ablegaturus his  
verbis utitur: ἐὰν μὴ σεαφῆτε  
καὶ γεγένησθε ὡς τὰ παιδία, οὐ μὴ  
εἰσέλθητε εἰς τὴν βασιλείαν τῶν  
ζεωνῶν in eam descendō sententiam, Ipsum non mo-  
do superbiam & ambitum hoc dicto (in cuius explicatio-  
nem & meliorem intellectum, ipsius etiam pueri in me-  
dium advocati exemplum ob oculos illis sistit,) reprime-  
re, verum etiam id docere voluisse, ne infantes con-  
temnamus, vel officinam Spiritus Sancti illos præbere non  
A posse

posse existimeraus, sed potius certi simus, participes esse Regni cælorum & frui donis gratia applicatricis. Quade causa v. 10. illo contemtu severe interdicit Salvator & rationem duplarem addit, alteram petitam ex eo, quod *Angeli infantum semper videant faciem Patris coelestis in cœlis, adeoque curam gerere ipsorum tenerimam ju-beantur: alteram ex eo, quod Filius hominis venerit, ad salvandum id, quod sit amissum:* ut sic credamus, eum Puerorum & Infantum peculiarem habere rationem, & quæ ad salutem adipiscendam pertinent, media, non saltem liberaliter illis, æque ac aliis hominibus & adultis, offerre, verum etiam conferre, quicquid ad istum finem in illis subjectis proportionatum esse deprehendit. Jucundum igitur est, meditando intueri, quænam illæ functiones sint, quas Spiritus S. in cordibus tenellorum talium suscipiat, quosque effectus producat. Et quamvis indaganti multa maneant imperspecta & impervia, si negotium regenerationis infantum evolvamus, licet tamen vestigia Scripturæ & clarissimorum in ea oraculorum sequi, & ex illis, quantum Analogia fidei duce & comite asseri potest, deducere ac demonstrare. Atque eo pertinebit Scrutinium præsens de Poenitentia Infantum, de qua meditandi ansa subnata est, ubi accuratius paulo intueri cœpi Oraculum Joëliticum, quo Prophetæ divinus una cum Senibus effoetis etiam in congregationem publicam supplicationis causa institutam parvulos & infantes adduci jubet. Illud vero pro viribus ingenii mediocribus Numinis auxilio ita excutiam, ut *Sectio Exegetica & Dogmatica omnia sim comprehensurus.* Qua de causa DEVm benignissimum rogo, ut huic cœpto meo ex altis largissime benedicere velit!

SECTIO